

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0194

0192

0198

0188

0203

0183

0243

0143

0293

0093

0693

Ende

Anfang

183

autem, me solum esse in sacro specu, p[re]gaudio dixi: Benedictus Dominus, et benedicta sint omnia impedimenta quietis et somni mei, propter quae adeptus celebrare jucundissimas vigilias ad dulcissimum Christi cunabulum. Dedi ergo me sacris vigiliis, et melius quo potui et scivi horas istas transegi, devotissimus enim et dulcissimus est locus iste, ut supra patuit, et vigiliae circa eum sunt delectabiles et leves.

Processus ad loca, quae sequuntur, ad (quae)
communiter peregrini non ducuntur.

Sexta decima die mane celebravimus Missas in specu sanctissimo, et post Missas ad locum pastorum ascendimus, de quo loco dictum est fol. 173 A., et ibi Gloria in excelsis cantavimus cum angelis. Post hoc reascendimus in civitatem Bethlehem et ipsam curiosius lustravimus et ad prandium fratrum ingressi sumus monasterium. (249 A) Porro antequam ad capiendum cibum iremus, in horto ambitus transivimus, in quo fuerunt sepulchra illorum trium hominum, qui resuscitati fuerunt et cum Eusebio reducti, ut in epistola Cyrilli episcopi Jerosolymitani ad Augustinum [legitur]. Post prandium valefecimus patri Gardiano et fratribus et oppidum Bethlehem ingressi sumus ad quandam Christianum graecum, unum de fratribus, qui mecum erat notus. Hic auditio, quo pergere intenderemus, concessit nobis quatuor asinos, tres pro nobis, et quartum pro filio suo, quem misit nobiscum ad serviendum nobis est bestiis. Ascendimus ergo bestias et de monte Bethlehem descendimus per clivum, gyrautes contra austrum super canale, per quod aquae in Jerusalem ducuntur. Ad villam autem quandam venimus, nomine Bethyr, juxta quam tanta amoenitas est, quantam non vidi per totam terram sanctam. Est enim infra villam tota vallis densata fructiferis lignis et diversi generis arboribus, ac si esset silva. Hunc hortum credunt Salomonem plantasse, et ibi hortum deliciarum fuisse, de quo dicit Ecclesiast. 7.: Feci, inquit, mihi hortos et pomoeria et consevi ea cuncti generis arboribus. Ad hunc hortum vehebatur Salomo aureo curru, circumdatu[m] armatis juvenibus, quando voluptatibus operam dare cupiebat, ut dicit

